DE EPIDERMIDIS, IMPRIMIS NEONATORUM, DESQUAMATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. JULII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Eduardus Seligmann
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. DEWIN, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
RICH. BRAUS, MED. ET CHIR. DD.
ARN. MENDELSSOHN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

LEOPOLDO SELIGMANN,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Epidermidis desquamationem jam in veterum scriptorum libris commemoratam invenimus, non solum eam, quae exanthemata sequitur, sed etiam spontaneam, quam interdum locum habere, illi sciverunt. Cutis, multas ob causas pars corporis humani gravissima, nullo non tempore medicorum attentionem excitare debebat, quam ob rem ejus naturae magis magisque cognoscendae multum operae impendebant; recentiori demum tempore, quo microscopium magis magisque perfectum adhiberi coepit, ejus indolem atque modum, quo gignitur, melius cognovimus.

Dubitari non potest, epidermidem, partem cutis supremam, e multis stratis, inter se tenaciter cohaerentibus, componi, id quod etiam coctione, imprimis in palma manus atque planta pedis, evidentissime ostendi potest. A scopo, quem mihi praefixi, de desquamatione neonatorum epidermidis peculiari disserendi longe discederem, si totam ejus naturam describerem, veruntamen varias

sententias de origine atque regeneratione epidermidis praemittere, haud supervacuum mihi videtur.

Stratum epidermidis infimum molle est et primum a Malpighio tunica singularis descriptum, sed, quod Albinus et Rudolphi ostenderunt, rete perperam nominatum est. Hoc rete Malpighii undique corium tangit. Ex hoc epidermidem gigni atque ex eodem perpetuo regenerari, multi ad nostrum tempus persuasum habuerunt, ita quidem, ut strata superiora paulatim arescant atque epidermidis naturam recipiant.

Breschet et Roussel de Vauzème organa, quae rete Malpighii mucosum, itaque totam epidermidem, secernant, quaeque »appareil blennogène», nominarunt, sese invenisse credunt. Glandulas esse, ajunt, magnitudine glandularum sudoriferarum, quibuscum unam eandemque in corio seriem teneant, ductus efferentes cujusque glandulae amplitudinem canalis sudoriferi habere, spirales autem non esse, sed paulo tantum curvatos et circa superficiem corii externam in spatio excavato inter papillas prodire atque terminari. Gurlt autem (1) glandulas illas omnino rejecit, non solum eam ob rem, quod ipse neque apud animalia neque apud homines invenerit, sed alias etiam ob causas; nam:

1) quod attinet, inquit, ad situm et figuram, jam secundum auctores nominatos glandulis, sudorem secer-

(1) Magazin für die gesammte Thierheilkunde von E. F. Gurlt und C. H. Hertwig. 2. Heft, Berlin 1838.

nentibus, tam similes sunt, curvaturis spiralibus tantum exceptis, ut vix ab iis distingui possint, et quod ad formam canalium efferentium, curvatura spiralis saepe in canalibus sudoriferis desideratur;

2) effusioni et aequali extensioni liquoris, per glandulas secreti (muci Malpighiani), non satis spatii suppetere videtur, quia epidermis et corium undique arctissime inter se conjuncta sunt. Sin autem, Gurlt pergit, concedis, mucum Malpighii per totam corii superficiem secerni, haec difficultas aufertur.

§. 2.

Quemadmodum origo omnium telarum corporis humani usque ad tempora paene recentiora valde obscura, immo fere ignota erat, ita formationis epidermidis modus tenebris premebatur. Gravissima demum inventione cel. Schwann (1), nimirum detecta cellularum formatione, haec quoque res illustrata atque explicata est; structura atque conformatio epidermidis in ejus opere hac ratione exponuntur:

Supremum epidermidis stratum e cellulis magnis, tabulatis, sexangulis, nucleum includentibus, componitur. Proxime sub eo multo minores cellulae, fere rotundae, nucleum quoque continentes, positae sunt. Cellulae eo

---

(1) Mikroskop. Untersuchungen über die Uebereinstimmung in der Structur und dem Wachsthum der Thiere und Pflanzen von Dr. Th. Schwann. Berlin 1839.

minores fiunt et nucleum arctius circumdant, quo penitius descendunt. Nucleorum quoque magnitudo diminuitur, nequaquam vero eadem proportione. Infima in parte cellulae non amplius distinguuntur, sed nuclei tenues, paene se tangentes, telam epidermidis confirmant. Hoc igitur modo origo epidermidis explicari potest: in cutis superficie primum nuclei cellularum oriuntur, circa quos cellulae, nucleum proxime circumdantes, gignuntur. Cellulae et minori quidem proportione nuclei accrescunt et demum in supremis stratis magis magisque complanantur. Quomodo primi nuclei nascantur, locus hic non est disserendi, quippe quod in opere supra nominato planius exponatur.

Patet igitur, quomodo epidermis et in foetu formetur et a corio aliquo modo detrusa, regeneretur. Nonne saepissime cutis epidermide privatur? Jam paulo post editum foetum epidermidis desquamationem magnum per ambitum videmus, immo oculis nudis saepe animadvertimus, epidermidem sua sponte per totum corpus vel majorem ejus partem in parvas lamellas seu squamulas solvi. Post multa exanthemata extruditur, emplastro vesicatorio et similibus causis cutis epidermide privatur; post frictionem vel lotionem brachiorum et pedum epidermidis magnam copiam in aquae superficie natare videmus; praeterea multis aliis in casibus epidermis stratis

superioribus orbatur: nonne denique omnino deleretur, nisi alius exstaret fons, quo semper regeneraretur?

§ 3.

Notum est, neonatorum cutem tempore post partum breviore aut longiore epidermidem per lamellas majores aut minores abjicere novamque mox in locum succedere, at scriptores, qui illi rei majorem operam navarunt, non consentiunt, quo die post partum illa desquamatio incipiat, quae causa sit, quamque aliam rationem cum corpore humano alat. Orfila, qui una cum Thierry in hac re multum operae collocavit, se invenisse putat, desquamationi ipsi epidermidis stadium, in quo aliquid praeparetur, antecedere, idque elevationem deinde dejectionem epidermidis sequi. Illud stadium, ait, praeparationis, ut ita dicam, incipere a sexto die post partum et protrahi usque ad diem undecimum, deinde epidermidem elevari a die vicesimo usque ad tricesimum et desquamationem completam a die tricesimo quinto usque ad quadragesimum fieri.

Billard, qui in illam rem multam operam contulit, stadium praeparationis non animadvertit, affirmat autem, initio desquamationem vix observari posse, quam ob causam hoc »exfoliation insensible« nominat. Inter quadraginta quatuor neonatos variis post partum diebus eam inchoare vidit, nempe apud quatuordecim primo die, apud undecim secundo, apud novem tertio, apud quinque

quarto, apud duos quinto, apud unum neonatum nono die, unde igitur patet, initium desquamationis plerumque primo aut secundo die evenisse.

In Germania de hac desquamatione neonatorum non multae observationes factae sunt. Dr. **Elsaesser** Stutgardiae apposuit accuratas observationes. Apud centum et triginta quinque maturos neonatos, octodecim exceptis, illam animadvertit. Nihilominus putat apud omnes neonatos desquamationem epidermidis locum habere, et apud illos octodecim post exitum ex nosocomio obstetricio incepisse pro certo habet, quoniam apud nonnullos tum quoque eam animadvertebat, aut fortasse ante partum, sed certe rarissime, ad finem perductam esse opinatur. Apud plurimos neonatos desquamationem inter diem sextum et decimum inchoasse compertum habet.

§ 4.

Occasio mihi fuit, desquamationem apud neonatos triginta et aliquot observandi, sed modo aegritudines, modo alia impedimenta, quin apud omnes eam accuratius observarem, me prohibuerunt; attamen apud viginti sex neonatos maturos accuratissime eam observavi; quum vero iidem maximam partem in clinico obstetricio Bonnensi, in quo solito more tantum quatuordecim dies versantur, occurrerent, desquamationem per brevius tantum tempus apud multos intueri potui. Apud omnes illos apparuit et apud unum quidem primo die, apud duos

tertio, apud quinque quarto, apud quatuor quinto, apud tres sexto, apud sex septimo, apud quatuor octavo et apud unum neonatum nono die post partum.

Majori igitur casuum numero septimo die, tum quarto et quinto die apparuit. Hoc cum observationibus Dr. Elsaesser maxime congruit, ne minimum quidem vero respondit rationibus a Billard traditis. Persuasum habeo, si majorem neonatorum numerum observare mihi licuisset, eventum certe alium proditurum fuisse, quod jam satis e diversitate relationum, ab Elsaesser et Billard promulgatarum, elucet. Num diversus vivendi modus neonatorum hujus rei causa sit, certo dirimere non licet.

§. 5.

Difficile est, initium desquamationis epidermidis accurate observare, quippe quod, ut supra adnotavi, nunquam constans sit, praeterea autem desquamatio saepius tam exiguis squamulis incipit, ut oculis non armatis vix animadverti possit. Ante desquamationem ipsam nunquam cutis mutationem alicujus momenti observavi. Epidermis hoc tempore aliquantum sicca atque nitida est. In iis corporis partibus, quibus postea desquamatio conspicitur, lineas parvas, albas, parum profundas seque oblique decussantes, quae epidermidis intervalla, modo majora, modo minora inter se tenent, videre licet. Deinde epidermidis solutio orditur; parvae atque tenues epider-

midis partes, variae magnitudinis atque formae ex ejus superficie assurgunt; per aliquod tempus uno latere adhuc epidermidi adhaerent. Squamae illae parvae deinde omnino decidunt, interdum in neonatorum fasciis magnam earum copiam collectam videmus. Nova epidermis jam antea statim sub squamis conspicitur et plerumque paulo rubicundior est, quam partes delabentes. Ita fit desquamatio epidermidis quoque in loco totius corporis.

In qua autem corporis parte semper initium capiat, certo dici non potest, quia apud omnes neonatos res non semper eodem modo se habet. Nunc in pede, nunc manu, nunc abdomine, nunc dorso desquamatio incipit, tamen in digitis plerumque eam inchoare, accurate me observasse puto. Quacumque autem corporis parte incipiat, ibi per longius tempus animadverti potest, immo tunc, quum jam ad alium corporis locum sese extenderit. Ordo, quo desquamatio ab uno ad alterum locum progreditur, non minus incertus atque inconstans est, quam ejus initium. Non semper ad regionem loco, quo incepit, conterminam transit, sed in parte modo magis, modo minus distante apparet, neque semper uno tantum loco incipit, sed plerumque in pluribus simul corporis regionibus. Ut exemplo utar, ordinem describam, quo uno in casu eam observavi. Apud illum neonatum sexto die post partum in digitis atque abdomine simul eam inchoantem vidi, tempore vespertino jam in brachio,

imprimis cubito et in axilla conspiciebatur, septimo die in dorso, femore atque regione pubis, octavo die nulla desquamatio, die nono tantum in latere dextro thoracis, die decimo in pede et fronte, die undecimo in thorace etc. Quodsi ordinem omnium desquamationis apud omnes neonatos comparo, maxime eum esse irregularem naturamque legem certam sequi non videri, intelligo.

Quamdiu desquamatio epidermidis apud neonatos observetur, equidem decernere non possum, quia tantum per dies quatuordecim eos observavi, sed Billard usque ad diem tricesimum et quadragesimum, vel ad finem mensis secundi post partum eam se vidisse affirmat.

§. 6.

Haec epidermidis desquamatio in quaque corporis parte non eodem modo fit, sed modo per lamellas majores aut minores, modo per virgas tenues atque angustas, modo denique per furfures aut farinae forma. Desquamatio per virgas angustas fit imprimis in cutis plicis atque in articulationibus, sicut in poplite, in articulo brachii et pedis; lobuli largiores oriuntur in locis binos inter articulos positis, in pectoris parietibus, saepe in planta pedis, interdum in integumentis abdominis, desquamatio denique furfuracea in sterno, in fossa axillari. Non raro in hoc corpore modo unum genus desquamationis, in altero modo alterum observavi, sed plerumque varia genera in variis locis epidermidis cernuntur. Cur apud al-

terum neonatum magis hoc genus, apud alterum magis illud praevaleat, dirimere nequeo; neque cura infantum, quae apud omnes eadem erat, nec sexus aliquantum conferre potuit. Dr. Elsaesser se observasse confirmat, apud neonatos flavicomos desquamationem evidentissimam fuisse, maxime tardam apud eos, qui aut minus aut rarius loti fuerint.

§. 7.

Quod attinet ad desquamationis causam plures sententiae appositae sunt. Billard hoc modo causam exponit: Integumenta neonati septem fere menses perpetuo in liquore amnii (nam secundum Autenrieth epidermis secundo mensi formatur) imbuta fuerunt, ergo semper mollia atque humida esse debebant. Foetus epidermidem partus tempore amnii liquore quasi penetratam ideoque valde extensam esse, putat. Sub hac conditione cutis aëri post partum subito obnoxia celeriter siccescit et quum epidermis tunc latior fit, quam ad corpus obtegendum requiratur, multis in locis rimae exoriuntur, inter quas epidermis solvitur, deinde desquamatio ipsa sequitur.

Dr. Elsaesser desquamationem epidermidis immediatum esse effectum cutis in aërem translatae negat, symptoma potius evolutionis, naturae conveniens opinatur.

Desquamatio naturae conamen, cutem partus tempore fortasse non perfectam perfectiorem reddendi mihi

videtur, cui sententiae etiam illud favet, quod desquamatio super totam corporis superficiem aequabiliter propagatur; nam, si res ita se haberet, ut Billard credit, si sola esset sequela extensionis, explicari non posset, cur per totum corpus desquamatio diffunderetur. Opinio autem mea iis, quae sequuntur, magis confirmari videtur:

Epidermidis desquamationi epithelii desquamatio admodum similis est, qualem in catarrho, in bronchitide chronica, in dysenteria aliisque blennorrhoeis videmus. Hic quoque epithelium perpetuo tenuium squamarum forma, quae optime microscopio conspiciuntur, decidit. Si in illis aegritudinibus epithelium laeditur et passim fere omnino a tunica mucosa secedit, ejus secessum tam diu animadvertimus, quam non plane regeneratum est. Quemadmodum supra regenerationem epidermidis exposuimus, ita etiam epithelium per cellulas a subjecta tela formatur. Eodem modo epidermis post aegritudines quasdam, quibus exanthematibus sive efflorescentiis affecta erat, tam diu dejicitur, donec naturam normalem receperit; quum apud foetum quoque epidermis perfecta non sit, eadem causa desquamationis ejus post partum esse mihi videtur.

§. 8.

Nova epidermis jam rediit, priusquam ejus squamae omnino deciderunt. Quomodo illa regeneretur, supra §. 2 exposuimus. Haec epidermis initio rubra atque hu-

mida apparet, nec non valde sensilis esse videtur, quia jam minimis injuriis externis vehementer irritatur. Sic squalor, ut faeces atque urina, neonato vehementes dolores efficiunt, et si irritatio non brevi removetur, adeo inflammatio, neonatorum erysipelas vulgo nominata, exoriri potest. Addere hic liceat, hac cutis natura ejus vim absorbendi valde augeri, quia pars, quae superficiem absorbentem tuebatur, per aliquod tempus, modo hic, modo illic, deest, quam ob rem methodo endermatica ad medicamenta recipienda facile uti possumus, quod, si necessitas postulat, apud neonatos difficillimum est.

§. 9.

Eodem tempore, quo illa epidermidis desquamatio, cuique neonato propria, observatur, alia quoque desquamationis genera accidunt, quae cum illa facile confundi possunt. Omnes fere aegritudines, quibus desquamationes succedere solent, hic exoriri possunt, immo, foetu rubeolis exempli gratia affecto, post partum desquamatio, quae tum ab ejus vulgari forma, qualis apud neonatos est, non facile distingui potest, observatur. Epidermidis desquamatio sive ejus supremi strati detrusio saepissime mortificatio est. Dum stratum inferius semper regeneratur, alia magis magisque versus superficiem externam provehuntur, eaque forma, quam squamas nominant, decidunt. Ita in phthisi mesaraica, in qua, dum abdo-

men tumescit, corpus macrescit, imprimis extremitates atrophia laborant, cutis corrugatur, valde pallida et sicca fit et tunc per squamas tenues secedit. Eodem modo non raro talem desquamationem apud neonatos, quibus putrescentia ex aliqua causa supervenit, cutis magni lobuli solvuntur, sub qua parietes quoque abdominis vulgo viridescunt, aliaque putrescentiae signa non deficiunt.

In quaque cutis aegritudine, qua aliquo malo, uti in exanthematibus, afficitur, conamen naturae, epidermidem corruptam ad meliorem conditionem reducendi videmus, quod partis, ex qua epidermis formatur, largiore secretione, multis squamis probata, efficitur. Jam sine externa causa epidermidem fere per totam vitam sponte resolvi, id quod quoque sequela est perpetuae regenerationis epidermidis, supra commemoravimus; porro causis mechanicis externis efficitur, itaque apud infantes, ad genua multum procumbentes, videmus. Similem desquamationem apud sutores in parte genu superiore, nec non apud scriniarios, in cubito apud typographos; etiam post graves morbos, in quibus cutis fortasse multum sudabat, eam in convalescentia deprehendimus, denique senibus interdum majorem partem sponte solvi constat.

§. 10.

Sicut jam quaeritur, num foetus in utero morbis quibusdam affici possit, ita in suspenso est, num apud eun-

dem jam ante partum desquamatio epidermidis locum habere possit, ideoque post partum non animadvertatur, quod in iis casibus, quibus in lucem tunc non prodit, opinari licet.

Huc pertinet ille casus, quem Dr. Goldschmidt (1) fusius descripsit. Conjux ipsius, quae ultimo mensi gravida, ipsa quidem scarlatina non affecta, liberis autem duobus, puero atque puella, scarlatina correptis, quotidie curandis occupata erat, puerum, in quo statim post partum scarlatina observata est, peperit. Quarto aut quinto die desquamatio jam incepit, a parte corporis superiore ad inferiorem regulariter se extendit, post quatuordecim dies omnino desiit atque exanthema nihil aliud malum secutum est. Similes casus enumerare non difficile est. In hoc casu dubitari non potest, desquamationem exanthematis sequelam fuisse, qualis apud adultos etiam accidat. Sed si scarlatina apud illum puerum aliquanto prius in utero incepisset, et si eadem via desquamatio eo prius inchoasset, aut si puer diebus nonnullis post editus esset, certe difficile dictu fuisset, num illa desquamatio sequela exanthematis, an regularis atque vulgaris habenda fuerit.

§. 11.

Omnia desquamationis genera, quae nominavi, raro

---

(1) Berl. Med. Centralzeitung.

per longum tempus existunt; donec natura epidermidem, aliquo modo deletam omnino non restituit, desquamationes perdurant; in plurimis casibus, ut post exanthemata, per certum quoddam tempus desquamatur. Aegritudines cutis chronicae etiam sunt, in quibus desquamatio per menses, immo per annos animadvertitur, ita provecta aetate in psoriasi, quibus diversissimae causae, ut arthritis, syphilis aliaeque subesse possunt; porro tales chronicae desquamationes alias sequuntur affectiones, verbi causa haemorrhoides, porro mala nervosa, senes tenentia, ut prosopalgiam, in qua facies interdum desquamatur. Praeterea plures casus peculiaris desquamationis noti sunt, quos latius exponere hic placet.

T. C. Hutchinson in Lond. med. Gaz. narrat: Vir quidam, fere quinquaginta annos natus, debili atque laxa constitutione, subinde, interdum bis per annum, morbo proprio febrili correptus est. Ut plurimum apparuit illa aegritudo post sudorem suppressum et signis febrilibus exceptis initio haec symptomata obtulit:

Cutis undique pruriebat, imprimis in articulationibus, deinde innumerae maculae, parvae atque rubrae, conjunctae cum tumescentia aliqua, exortae sunt. Digiti deinde duri, valde rigidi erant, motu difficiles, apice et radice unguium dolentibus. Viginti fere quatuor horis elapsis epidermis solvi incepit atque intra dies decem ad duodecim a capite usque ad pedes solutio se extenderat. Aegrotus epidermidem a manus articulatione

non raro usque ad digitorum apicem, chirothecae similem, detraxit, eodemque modo ab articulatione usque ad apicem digitorum pedis. Deinde ungues a digitis decesserunt, initio magno dolore, qui tamen, quo magis desquamatio cutis aucta est, desiit et post sex menses loco veterum unguium novi apparuerunt. Epidermis palmae manus in bullas surrexit, nullo autem liquore impletas. Cutis nova per aliquod tempus valde sensilis erat, et si aegrotus febri omnino non liberatus, novis refrigeriis se exposuit, epidermis iterum decidit, sed tantum per squamas tenues.

§. 12.

Casum valde notabilis atque eximiae desquamationis Bonnae observandi mihi occasio fuit, quem nunc latius describam. Quum talis casus rarissime obveniat, quumque eum non satis vivis coloribus, sed verbis tantum in animi intuitu ponere potuerim, non alienum putavi, descriptioni effigiem alicujus corporis partis addere. Qualem desquamationem epidermidis in brachio vides, talem fere supra totum corpus fuisse adnoto.

Veronica Breitenbend, Bonnensis, tres annos nata, parentes bona valetudine perpetuo gaudentes habet. Mater ter facillime partum edidit, atque infantes, qui adhuc in vivis sunt, nunquam gravi morbo affecti erant. Corpus matris bene formatum, cutis integra, omnis exanthematis seu eruptionis expers, citra graviditatem men-

struatio normalis, digestio semper integra. Nunquam morbis gravioribus, neque scrophulosi, nec syphilide laboraverat. Eadem quum, septimo mensi nostram utero gerens, cum filia natu majori, a scarlatina vix liberata, familiarem quandam adiisset ejusque infantem, apud quem desquamatio lobulis permagnis, sequela scarlatinae adfuit, conspexisset, ob magnam, qua laborabat, sensibilitatem enormi desquamatione perterrita est; familiaris ei exprobravit, quod filiam suam, scarlatina perfunctam, debito maturius e domo eduxerit, quippe quum desquamatio nondum sit finita et hac ex causa infanti magna detrimenta nasci queant. Ex hoc tempore mater infantem quotidie pluries diligentissime intuebatur, et ut desquamatio optime praeteriret, metuebat. Post quatuor septimanas deinde, nono graviditatis mensi non omnino elapso, puella nostra edita est. Obstetrix arcessita exploratione interna velamenta ovi rigida atque tensa invenit eaque rumpere coacta erat. Liquor flavus defluxit, et quum partus tamen non progredi vellet, exploratione iterata, alteram tunicam pertundi necesse erat. Majori liquoris amnii copia effusa, partus mox optime successit. Obstetrix, postquam funiculum umbilicalem substrinxerat, matrem placenta liberaverat infantemque abluerat, supra totam faciem infantis membranam propriam, firmam, duram, pergameneam, siccam, nitidam extensam invenit. Haec membrana faciei adspectum deformem dedit. Tensione labia superiora distracta erant, ut infans os claudere et

per octo dies mammis admoveri non posset. Eadem membrana utriusque auris orificia externa atque nares obduxit, ita ut infans nisi maxima cum contentione spiritum duceret et tandem obstetrix membranam illam, super nares extensam, pertundere coacta esset, dum illa aurium postea sua sponte secederet. Hanc membranam obstetrix deinde supra totum corpus ejusmodi indolis invenit, et articulis tam firme adhaerentem, ut infans illos per aliquot dies ne minimum quidem movere posset. Multis motibus infantis inquieti in articulis multae rimae majores atque minores exortae sunt, inter quas epidermis per multas squamas solvi incepit, decidit, eodemque modo desquamatio epidermidis super totum corpus sese extendit. Ex hoc tempore illa desquamatio frustis partim longioribus atque largioribus, partim brevioribus et angustioribus perpetuo evenit neque postea desiit. Haec desquamatio modo largior, modo parcior erat, et mater aegrotae imprimis sub novilunium eam majorem, quam alio tempore se observasse putat. In toto corpore, nulla parte excepta, illa cernitur adeoque in locis capitis pilosis aliquando magnum frustum palmae manus magnitudine cum omnibus crinibus decidit et nova epidermis cum novis, sed parvis pilis jam adfuit. Infans squamis multum cutis pruritum sentiebat et perpetuo digitis eas divellebat, ut mane lectulus illis quasi obsitus esset. A sexto mense modo hic, modo illic in tota corporis superficie maculae albidae, rubra areola circumda-

tae, medium punctum flavidum tenentes, exortae sunt. Epidermis earum aliquantum se sustulit, punctum flavum accrevit et tumore parvo aperto, materia flava, fluida, foetens effluxit. Haec profluvia puriformia per intervalla modo hic, modo illic redierunt. Glandulae lymphaticae colli, axillae atque regionis inguinalis tumuerunt. Tinea capitis exorta est, abdomen quoque valde tumefactum atque durum et cum his scrophulosis signis photophobia mox conjungebatur. Praeter illas affectiones scrophulosas infans nunquam aliud malum patiebatur. Appetitus ciborum semper bonus, alvus regularis, mingendi nulla difficultas, sed magna urinae copia semper mittebatur, cutis perpetuo sicca, somnus semper bonus, tantum interdum pruritu cutis interceptus.

CONDITIO PRAESENS.

Puellae magnitudo aetati respondet, corpus satis validum est, caput, cum toto corpore comparatum, aliquanto majus. Capilli subflavi, crustis inter se conglutinati, radices satis firmas in cute habent. Superciliorum tantum vestigia videre licet. Palpebra superior atque inferior utriusque oculi ectropio laborat, ciliorum palpebrarum superiorum muco plerumque compactorum major pars deficit. Labium superius oris sursum spectat, tota facies ceterum secundum normam formata est. Conchae aurium, normalis magnitudinis, valde durae atque tam rigidae sunt, ut eas defringi posse existimes. Ex

aure sinistra materies foetida persaepe effluit. Thorax convexus bene se extendit, abdomen inflatum, tactu durum. Extremitates cute tensa atque pergamenea non facile moventur, digiti manus partim aliquantum curvati, pedis valde imperfecti atque parvi sunt.

Quod attinet ad cutem, corpori illum proprium adspectum praebet, tanquam soluta atque omnis conjunctionis expers cum tela subjecta sit, quod in digitis (vid. tabul.) optime animadvertitur. Cutis porro pergamenea, nitida atque dura est; undique sicca atque pluribus in locis magnae plicae observantur. Retis instar undique supra totum corpus sulci, magis aut minus profundi, cernuntur, quibus cutis in multas areas dividitur. Areae illae majores iterum minores complectuntur, quum rimae quaquaversus rete illud percurrant, unde multae epidermidis insulae exoriuntur, quae solvuntur, undique igitur, a superficie cutis, partim adhuc adhaerentes, prominent. Squamulae tenues, versicolores, albido-canae, perpetuo decidunt, eoque cutis superficiem asperam reddunt. Sub illis squamis, vix adhaerentibus, nova epidermis, rubra atque laevis, in conspectum venit, itaque perpetua epidermidis dejectione facile tria strata, diverso tempore orta, animadvertuntur. Si corpus infantis manu permulces, sensum percipis, tanquam squamas piscium stringas. Inter illas squamas hic illic majora loca, ut icon adjecta in brachio ostendit, laevia atque nitida, aliis in locis, ut in cubiti regione areae quadratae regu-

lares conspiciuntur. Veruntamen adspectus semper mutatur, et a desquamatione epidermidis, quoque tempore diversa, omnino pendet.

§. 13.

Primo adspectu hujus propriae cutis similitudinem cum aliis cutis morbis, quos quoque epidermidis desquamatio sequitur, invenis. Quod attinet ad similitudinem cum psoriasi, tantum in eo consentit, quod utrique desquamatio communis est, sed tam multa symptomata huic repugnant, ut dubitari nequeat, psoriasin non esse. Psoriasis nunquam super totum corpus, nulla parte excepta, diffunditur, squamae ejusdem magnitudinis non sunt, tantus pruritus, talis rubor cutis semper deficiunt, porro nunquam eodem modo gignitur, quo haec desquamatio. Proxime deinde cogitare possis de ichthyosi. Hic etiam squamae toto in corpore exoriri possunt, cutis quoque sicca est, sed plurima signa illi non favent. In ichthyosi epidermis condensata est, squamae ut imbrices accumulatae sunt, nunquam superficies inflammata observatur, nullus calor, nullus dolor, nullus pruritus adesse solent. Difficile igitur est, hanc propriam desquamationem in aliquem morborum notorum numerum referre. Ceterum morbo ex sola desquamatione nomen impertire, supervacuum est; quum tamen hic intersit, eruere, quae sit natura mali, sequenti in capite fusius eam descripsi.

§. 14.

Origo illius desquamationis, quae nunc jam per tres annos perpetuo viget, certe jam in vita uterina quaerenda est, cui sententiae illud favet, quod statim post partum incepit et fortasse quod, quum mater puellam utero gerens, familiaris infantem, magnis squamis affectum, conspexisset et aliquantum perhorruisset, foeto damnum contraxit. Fieri etiam potuit, ut alio graviditatis tempore foetus inflammatione cutis affectus esset, quamquam foetum aegritudinibus affici plerumque negatur, tamen plures casus hoc affirmant. Ita Véron (1) apud duos foetus peritonitidem se animadvertisse tradit, et Ollivier in urbe Angers talem casum evulgavit. Piorry in opere citato plures casus, quibus variolae atque rubeolae a matre ad foetum translatae fuerint, commemorat, et multi alii casus, qui confirmant foetum morbis affici posse, innotuerunt.

Quum infantis aegroti cutem microscopio propius investigarem, rete vasorum eximium atque permagnum inveni; sub epidermide vasa majora in innumera minora secedere vidi, et quum alia inflammationis symptomata, ut pruritus, rubor adauctus, frequentes abscessus non desint, sententiam inflammationem hic forte adesse, amplecti placet. Exanthemata inflammatoria, ut scarlati-

---

(1) P. A, Piorry, üb. die Erblichkeit. d. Krankheit. 1840.

nam, desquamationes per magnos lobulos sequi solent, id quod etiam in nostro casu evenit. Praeterea microscopio folliculos pilorum eorumque bulbos multo majores justo vidi. Folliculi imprimis valde tumefacti sunt, et quum nullam aliam causam invenire possim, probabile est hoc in morbo connato causam chronicae inflammationis atque perpetuae desquamationis epidermidis quaerendam esse.

§ 15.

Quod attinet ad curam illius propriae infantis desquamationis, magis quam ipsa, dyscrasia scrophulosa respicienda fuit, quam ob causam varia medicamenta antiscrophulosa abhibita sunt; ita praeter antimonialia, mercurialia, plerumque conjuncta, oleum jecoris Aselli per octo menses, parvis tantum temporis interstitiis exceptis, dosi modo minori, modo majori, exhibitum est; glandulae colli tumefactae per aliquod tempus evanuerunt, sed mox redierunt. Non sine fructu pulvis Goelisii exhibebatur, qui saepius repetitus photophobiam valde diminuit. Contra desquamationem epidermidis ipsam medicamenta tantum symptomatica adhiberi potuerunt, quia causa, vitium connatum, aegritudo nempe folliculorum sebaceorum atque bulborum pilorum, nullo modo auferri potuit. Ad pruritum cutis diminuendum corpus saepius oleo amygdalarum dulcium frigido parato unctum est,

praeterea balnea tepida cum furfure perinde administrata sunt.

Restat adhuc, ut methodus curandi, qua infans a funesta et molesta epidermidis desquamatione liberari possit, inveniatur.

V I T A.

Ego Eduardus Seligmann Confluentibus die XIV mensis Augusti anno hujus saeculi decimo septimo natus sum, patre Leopoldo et matre Henrietta, e gente Landau, jam ex viginti annis dira mihi morte abrepta. Fidei veteri adscriptus sum.

Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Confluentinum directore Klein florens per novem annos frequentavi, ex quo cum testimonio maturitatis dimissus sub finem mensis Octobris anni XXXVII h. s. almam universitatem Bonnensem petii ibique a rectore magnifico Ill. Welker in civium academicorum numerum receptus, apud Cel. Harless, ordinis gratiosi medicorum Decanum spectabilem, nomen professus sum. Per annos inde tres et dimidium hasce scholas et philosophicas et medicas audivi:

1. PHILOSOPHICAS:

Logicen et psychologiam apud Cl. van Calker; physicen experimentalem apud Cl. Pluecker; botanicen apud Cl. Treviranus; zoologiam apud Cl. Goldfuss; mineralogiam apud Cl. Noeggerath; chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam apud Cl. G. Bischof; anthropologiam apud Ill. Nasse; Shakespearii Othello apud Beat. Strahl.

2. MEDICAS:

Anatomicam generalem et specialem apud Ill. Mayer et Weber; situm viscerum apud Ill. Weber; physiologiam apud Ill. Mayer; encyclopaediam medicam, pathologiam generalem et specialem apud Ill. Naumann; materiam medicam, formulare apud Ill. E. Bischoff; therapiam generalem et specialem, anthropologiam, de institutione medici, apud Ill. Nasse; chirurgiam, anatomiam chirurgicam, de morbis oculorum, akiurgiam, de fasciis applicandis apud Ill. Wutzer; artem obstetriciam, de morbis infantum, de instrumentis obstetriciis apud Ill. Kilian.

Duces mihi fuerunt: Ill. Mayer et Weber in cadaveribus dissecandis; Ill. Treviranus in excursionibus botanicis; Ill. Nasse in clinico medico propaedeutico et practico; Ill. Wutzer in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Ill. Kilian in exercitationibus in phantomate instituendis et in clinico obstetricio.

Ineunte vere h. a. ad almam universitatem Berolinensem me contuli et a Rectore magnifico Ill. Lichtenstein in numerum civium academicorum receptus, ab Ill. Osann, gratiosi medicorum ordinis Decano spectabili, in medicorum album inscriptus sum.

Hic usque audio:

Anatomiam pathologicam apud Ill. J. Mueller, historiam medicinae apud Ill. Hecker; duces mihi sunt: Ill. Juengken in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Cel. Truestedt in clinico medico-chirurgico; Cel. Wolff in clinico medico.

Viris his omnibus summopere de me meritis pio gratoque animo gratias ago semperque habebo, quas possum maximas.

THESES.

1. In morbis cutaneis cura, quae conditionem vitalem cutis respicit, optima.
2. Cura, symptomatica dicta, non rejicienda.
3. Omnes morbos sanare non licet.
4. In curandis ulceribus dyscrasia maxime respicienda est.
5. Tubercula cerebri suspicari quidem, sed non dignoscere licet.
6. Versio in caput rejicienda est.

